



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1694

§. X. Angelus eum confortat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49178)

Angelus eum confortat.

Luc. 22.

43.

Jam tertium oraverat tristis ulque ad mortem, humilis usque ad terram, Dominus cœli, & terræ, & ecce, apparuit illi Angelus confortans eum. Nil mirum, voluisse eum confortari ab Angelo bono, qui permisit se tentari ab Angelo malo. Hic Angelus verosimiliter Gabriel, spectabili indutus corpore, vultuque commiserationis plenissimo, submissa proni corporis, ac animi reverentiâ, eum adorans, quem adorant omnes Angeli, Patris voluntatem exposuit, his aut similibus verbis: Adsum supremi concilii nuntius, & paternæ voluntatis interpret. Statutum est in illo sacrosancto Senatu, Patre mandatum suum tibi proponente, Te acceptante, Spiritu sancto approbante, ut calicem hunc, tibi quidem amarum, sed fratribus tuis præclarum, ante 15. horas bibas. Surge ergo, bibe; grandis enim tibi restat via. Si hunc calicem non bibis, ætatum est de totius mundi salute. Patris enim furor justissimus, tui solius sanguine extinguetur. Miserere tot fratrum tuorum. Aspice infra pedes tuos tot captivos, magis invidiâ alienâ; quam malitiâ propriâ, æternæ servituti addictos. Aspice sursum tot sedes vacuas, quæ nisi à te, cujus misericordiâ plena est terra, possunt impleri. Ergone sines Luciferû gloriari de ruina tot fratrum tuorum? videbis illos hostium tuorum, ac Patris tui conculcari pedibus? trahi à dæmonibus in triumphum? privabis Patrem tantâ gloriâ, Angelos tanto gaudio, homines tanto bono, cœlum tanto ornamento? consurge, induere fortitudinem brachium Domini. Post tres dies tantâ resurges gloriâ, quantâ ceci-

cecideras ignominiâ. Mors & vita omnium in manu est tua. Moriare unus, ne moriantur omnes. Hoc tibi expedit hoc Pater præcipit. His ab Angelo auditis, Christus ut intellexit obfirmatam esse Patris voluntatem, & jam instare sibi tempus illud ferale, quo fractis inferorum repagulis, omnium quotquot essent dæmonum rabies, Judæorum furia, paternæ justitiæ iracundiæ toto impetu in se unum essent effundenda, repente velut signo dato, bella, horrida bella in Christi pectore arsere. Hic inter se præliati repugnantes timoris & Amoris affectus, & acerrimè digladiari. De quo sequenti puncto.

§. XI.

Sudor Sanguineus.

Christi tristitia, quæ fuerat magna usque ad mortem corporis, crevit, & evasit maxima usque ad effusionem sanguinis. *Et factus in agonia* Luc. 22.
prolixius orabat, & factus est sudor ejus sicut gutta san- 44.
guinis decurrentis in terram. Sicut à timore anxietas, sic ab anxietate processit agonia; quæ hunc in modum orta est. Permisit Christus imaginationi suæ, sibi modo perfectissimo proponere omnium, quos paulò post perpeffurus erat, cruciatuum ferocitatem, & simul concessit appetitui sensitivo inde concipere immensum quendam mortis tam diræ, mox oppetendæ formidinem, atque horrorem; & quidem tantum, quantum poterat concipere: cum verò ratio tota ad illos cruciatus, sibi propositos rapèretur, & voluntas liberrimè, juxtà ac libentissimè eandem admitteret, & consentiret in mortis genus tam ferox, vis imaginativa vehementi cruciatuum apprehensione effectus timoris, tædii, tristitiæ ciere; con-

Sanguinis in horto effusi causæ.